



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. I. Quid nomine gratiæ hic intelligatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

## DISPUTATIO CX.

## De Gratiâ secundum se.



**G**RATIÂ naturam perficit, suoque illam splendore veluti cœlestibus quibusdam radiis vestit atque illustrat: ejus insuper vires ad rectè agendum impares, imbecillitatè que subleuat, robur denique ad operationes æternæ vitæ adeptioni idoneas exercendum subministrat, non ornamentum ei data tantum, sed adjumentum. Esto enim homo viribus à naturâ sibi inditis virtutes varias exercere possit, quæ ad Philosophiæ moralis considerationem pertinent, hæc tamen omnes inferioris conditionis sunt & ordinis, si cum operibus gratiæ conferantur, utpote quæ naturæ terminos egressa ad altiorem longè finem creaturam rationalem eleuant, adeoque sublimia sunt, ut quamvis naturam supponant, ab eâ tamen sine subsidio gratiæ elici omnino non possint. Ad quam rem appositè S. Augustinus de Prædestinatione Sanctorum, cap. 5. Posse, inquit, habere Fidem & Charitatem, naturæ est hominum, habere autem Fidem & Charitatem, gratiæ est fidelium. Quod etiam testatur idem S. Augustinus, dum librum unum de Naturâ & Gratiâ, alium de Gratiâ & Libero arbitrio scripsit, innuens nimirum gratiam, naturam rationalem supponere; hanc verò sine gratiâ humi quasi repere, nec ad eximium quidquam assurgere, quodque ad veram beatitudinem consequendam spectet, præstare posse. De hac itaque in præsentem nobis agendum, ejusque naturâ, virtus, proprietates indagandæ.

## SECTIO PRIMÂ.

## Quid nomine gratiæ intelligatur.

I.  
Varia acceptiones gratiæ declaranda.



**V**T de naturâ gratiæ pressius agamus, varîe ejus significationes, prout hoc nomen à diversis usurpatur, necessariò sunt obiter proponendæ, quibus visis, pronum erit relictis aliis, Theologicis illius acceptiones, à Conciliis & Patribus nobis traditas discernere, & de iis solis disputationem instituire.

II.  
Improprie quædam vocis gratiæ usurpationes.

Gratiæ pro concinnitate sermonis.

Gratiæ interdum est affectus benevolentis.

Ut ergo sensus hujus vocis *Gratiæ* minus proprios, nempe prout sumitur primò pro habitudine quadam ac venustate, seu pulchritudine corporis juxta illud Proverb. ultimo v. 30. *Fallax gratia & vana est pulchritudo*, &c. Secundò pro elegantia & concinnitate sermonis, quo sensu Ecclesiastici 6. v. 5. dicitur, *Verbum dulce multiplicat amicos*, & de Christo habetur Luca 4. v. 22. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus*: & Ps. 44. v. 3. de eodem dicitur *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Tertio sumitur gratia pro affectu benevolentis, sic dicitur quis redire cum alio in gratiam, nihilque in Scripturâ frequentius, quàm *si inveni gratiam in oculis tuis* &c.

Has, inquam, & alias gratiæ acceptiones ut omittam, sumitur magis propriè gratia pro dono gratis collato, utpote quod conferendo, dicitur quis gratiam alteri facere. Hoc sensu de eâ loquens S. Augustinus tract. 3. in Joannem sic habet: *Quid est gratia? gratis data: quid est gratia? donata, non reddita*. Quare S. Paulus ad Romanos II. v. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia*. Unde & Aristoteles 2. Rhetoricorum: *Gratiæ est, inquit, per quam dicuntur rogati, gratis aliquid facere, non pro re aliquâ, neque ut sibi quidquam, qui faciunt subveniant, sed ut cui faciunt*.

Hæc tamen gratiæ acceptio, Theologicè loquendo, nimis adhuc lata videtur: hoc enim modo nullum omnino bonum habemus, quod gratia nuncupari nequeat, cum nihil planè habeamus, quod gratis à Deo non accepimus, & pro quo eidem gratias non debeamus, sive illud naturale sit, sive supernaturale; totum siquidem à benignissimâ manu Dei in nos derivatur.

Dices: hinc sequi quando aliquis, per merita præsertim, recipit augmentum gratiæ, gratiam illam secundam esse & non esse gratiam; esse, quia omnes hoc modo sentiunt, & loquuntur; non esse, quia non datur gratis, sed ex meritis, seu operibus: si autem ex operibus jam non est gratia secundum Apostolum, vel dicere debemus, non esse de ratione omnis gratiæ, ut detur gratis.

Responde-

III.  
Gratiæ magis propriè accipitur pro dono gratis dato.

IV.  
Nimis lata est illa gratiæ acceptio pro dono gratis dato.

V.  
Obj. sequi aliquod augmentum gratiæ esse, & non esse gratiam.

VL. *Augustinus gratia est gratis datur in radice: quo etiam sensu SS. Patres caelestem gloriam frequenter appellanti gratiam.*

Respondetur primò: augmentum illud gratiæ, licet detur ex meritis, & ex iustitiâ, posse nihilominus in aliquo vero sensu gratis dici dari, nempe in radice, quia scilicet meritum illud condignum, ad quod sequitur, fundatur in primâ gratiâ, quæ omnino gratis confertur. Sic Sancti Patres gloriam caelestem frequentissimè vocant gratiam, esto non minus detur ex meritis, quàm augmentum gratiæ, & addunt, ut censeatur gratia abundè sufficere quod sequatur tanquam fructus ad gratiam, quæ est donum Dei maximè gratuitum. Sic, ut alios omittam S. Augustinus cap. 8. de gratia & libero arbitrio, *vita æterna sine dubio, inquit, quæ bona vitæ redditur, Dei gratia est, & ipsa enim gratis datur, quia gratis datur & illa, cui datur: nempe gratia: hæc ille: qui ibidem addit, nullo alio modo posse dissolvi, quo pacto vita æterna sit gratia, nisi quia datur intuitu operum, quæ oriuntur à gratiâ. Idem docet S. Thomas lectione 2. in illa verba Apostoli 2. ad Timotheum 4. v. 8. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ &c. Ubi inquirens, quomodo sit corona iustitiæ, cum vita æterna sit gratia, respondet, quod est iustitia quantum ad actum qui procedit à voluntate, est gratia quantum ad radicem merendi.*

S. Augustinus.

S. Thomas.

VII. *Pluribus ostenditur nullum esse gradum gratiæ, qui substantialiter & propriè non sit gratia.*

Secundò etiam respondeo, omnes gradus gratiæ esse in se & essentialiter, seu substantialiter gratiam, & si gradus sint homogenii, res est facilis, sic enim licet hic & nunc secundus & reliqui gradus sequentes dentur ex meritis, nullus tamen ex illis est, qui non potuisset esse primus. Iud licet gradus sint heterogenii, cum tamen nullus sit gradus gratiæ, qui non potuisset in primâ peccatoris iustificatione gratis simul cum præcedentibus infundi, nullus enim est, qui in se verè non sit substantialiter gratia.

VIII. *Quo sensu iuxta scripturam accipiatur gratiam pro gratiâ.*

His etiam modis intelligunt multi illud Joannis primò, v. 16. De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quem locum S. Augustinus in Enchiridio cap. 6. de gloria, quæ pro gratia in cælo datur, ait accipiendum, gloria quippe illa est gratia in radice. S. tamen Hieronymus in Epistola ad S. Augustinum, hoc loco gratiam, pro gratiâ quam per Christum accepimus, esse vult legem novam pro vetere. Aliæ etiam huius loci interpretationes videri possunt in Maldonato, Salmerone, Toletò, & aliis, sed hæc ad institutum nostrum sufficiunt.

SECTIO SECUNDA.

Inferuntur quedam ex dictis, & propriissima gratiæ notio declaratur.

I. *Donum creationis non incongruè appellari potest gratia, cum omnino gratis datur.*

Hi c infero cum S. Bonaventura art. 1. q. 2. Richardo, Gabriele, Bellarmino lib. 1. de gratiâ & libero arbitrio, cap. 2. & aliis, ipsam etiam creationem posse gratiam nuncupari, est quippe donum aliquid omnino gratis, & sine illis præcedentibus meritis à Deo nobis concessum, sic loquitur S. Augustinus in Psal. 144. *Attendamus, inquit, gratiam Dei, non solum quæ fecit nos, verum etiam quæ perficit.* & Patres Africani in Epistola ad Innocentium Papam, cum eodem S. Augustino Epistola 93. dicunt non improbanda ratione appellari gratiam Dei, quæ creati sumus, quia non præcedentium operum meritis, sed gratiâ Dei bonitate donata est. Qui etiam loquendi modus in S. Hieronymo, aliisque Patribus non rarò invenitur.

R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

Strictius verò adhuc propriissimèque sumi nomen gratiæ à Theologis solet, utpote quam iuxta modum loquendi Scripturæ & Patrum significare asserunt eximium quoddam donum, per quod natura rationalis ex statu puræ naturæ evehitur & ordinatur ad vitam æternam, atque ad eisdem consecutionem juvatur. Unde inquit Patres Africani supra, licet non improbanda ratione dicitur gratia Dei, quæ creati sumus, &c. alia tamen est quæ prædestinati vocantur: & postea, illam verò gratiam, quæ creati sumus homines, etiam ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen si ita appellatam in ulla Prophetica, Evangelicâ, Apostolica litera legimus. & S. Augustinus Epistola 95. illud, inquit, donum apostolica doctrina gratiam appellat, quæ salvatur & justificatur ex Fide Christi. Per quod inveniunt gratiam se sumere velle, prout à naturâ donisque eam sequentibus contradistinguitur: nam & Pelagius creationem & libertatem naturalem, beneficio Dei acceptam gratiam appellabat, ut testatur S. Hieronymus dial. 1. contra Pelagianos, & S. Augustinus Epistola 105. & alibi sæpè, ut hoc modo, inquit, nomen gratiæ retineret (Pelagius) rem ipsam penitus everteret. Quare Patres hæc in re acriter cum impugnant, & contendunt, ex communi usu sacre Scripturæ gratiam donum aliquid significare superioris ordinis, & toti naturæ superadditum.

II. *Gratia propriissime sumpta est eximium quoddam donum, per quod natura nostra ordinatur ad vitam æternam.*

*Gratiâ à naturâ donis, eam sequentibus distinguitur, & est quid aliioris ordinis ad illa.*

Gratia ergo propriè dicta supponit personam cui sit, eamque ad alium longè finem per operationes multò perfectiores ordinat. De hac proinde ut à natura distincta passim loquitur Apostolus, eamque ita ubique extollit, ut S. Hieronymus omnes Pauli Epistolas gratiam sonare asserat. De hac loquitur 2. ad Corinthios 3. v. 5. dum ait: *Non quod sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis,* ubi, ut constat, aperte distinguit gratiam à naturâ: in eadem item Epistola, cap. 12. v. 9. de eisdem gratiæ vi & efficacia loquitur illis verbis: *Sufficit tibi gratia mea.* & ad Gal. 1. v. 15. *Vocavit per gratiam suam:* & alibi sæpè.

III. *Gratia totâ naturam supponit, eamque ad altiore operationum seriem elevat.*

Creatio itaque & dona naturalia, etsi cum sine meritis habeantur, possint generali quadam ratione appellari gratia, non tamen gratia strictè dicta, tum quia inferioris ordinis, & per se ad vitam æternam non ordinantia, tum quia dona hæc jure naturalitatis debentur naturæ, natura verò nullum supponit subiectum, cui fiat gratia, nec positivè est indebita illius creatio, quod tamen nisi aliquid in eodem ordine supponatur, est de conceptu gratiæ.

IV. *Cur dona naturalia dici nequidè gratia propriè dicta.*

Quod verò obijciunt aliqui creationem, & dona naturalia esse interdum effectus prædestinationis, eaque de causâ gratiam appellari debere: inprimis fallum est dona merè naturalia esse effectus prædestinationis, nisi peculiari modo ad salutem consequendam conferant, qualia sunt audire hæc & illa verba Evangelii, ex quibus tangitur eor, & sit conversio: quod tali loco & tempore occurrat sinitus, ex quo occasionem accipit quis respicientiæ, & salvationis, & alia hujusmodi: quæ proinde dona merè naturalia non sunt, ut dixi in materiâ de Prædestinatione, integrant enim unam conversionem, in eodem genere intentionalis motionis, cum vocatione interna. De his verò etiam dicendum, latius patere effectum prædestinationis, quàm gratiam strictè dictam; ut enim quis illum habeat, sufficit quod peculiari aliquo modo concurrat ad beatitudinem; ad hanc autem plura requiruntur, ut constat, ex dictis.

V. *Dona naturalia, nisi ad salutem consequendam aliquo modo conferant, non sunt effectus prædestinationis.*

*Latius patet effectus prædestinationis, quàm gratia strictè dicta.*